

1215, setembre, 27

Saurina de Palera permuta el mas Leona de Beuda amb el mas Figuera de Palera que tenen el seu fill Arnau i l'esposa d'aquest, Blanca, del qual fa donació a la infermeria de Sant Daniel.

ASD núm. 84, perg. orig., 235 x 180 mm, carta partida.

Notum sit cunctis quod ego Saurina de Paleria dono et concedo uobis Arnallo de Paleria filio meo et uxori tue Blanche et uestris omni tempore ipsum meum mansum quem habeo et teneo et tenendo possideo apud Leonam in parrochia Sancti Felicis de Belda, in quo habitat per me, Bernardus de Leona, quem mansum manifestum est quod ego emi a Berengario de Aquilone et suis per franchum alodium, cum exitibus et ingressibus, suis et cum omnibus pertinentiis et tenedonibus et hominibus et feminis et cum ómnibus de his habentibus siue qualicumque modo pertinentibus. Et pro hac donacione recipio a uobis mansum uestrum de Figera qui est in parrochia Sancte Marie de Paleria, cum hominibus et feminis presentibus et futuris et cum omnibus pertinentiis et tenedonibus suis, quem mansum de Figera ego dicta Saurina remedio anime mee et parentum meorum dono et offero domino Deo et ecclesie Sancti Danielis de Gerunda ad opus officii infirmarie et in seruicio sororum eiusdem presencium et uenturarum per franchum alodium in perpetuum, ita quod numquam dominus de Paleria uel domina siue castlani uel baiulus siue nuncii uel uicarii in iamdicto manso de Figera et pertinentiis in hominibus presentibus et futuris nichil possint ibi demandare uel requirere occasione aliqua siue aliquot iure uel racione, set domus et sanctimoniales illius ecclesie Sancti Danielis habeant in hereditate mea et sine uinculo alicuius persone magne uel parue, cum uiis et aquis et riperiis et pasturis et molendinis et lignariis et boschis et garricis et montibus et planis et omnium rerum dominiis siue exaccionibus et prouentibus et cum omnibus aliis que dici uel nominari siue excogitari aliquo modo possunt ad omnes illorum uoluntates per bonum et franchum alodium. Et hoc donum facio in potestate domine Agnetis abbatisse Sancti Danielis et in manu Stephanie et Marie, tenentium locum infirmarie. Et uolo et precipio quod si Arnallus de Figera qui est inuentus homo eiusdem mansi uoluerit se redimere et collum excutere a iugo seruitutis illius ecclesie, det .v. solidos barchinonenses pro redemptione et sit solutus cum omnibus rebus suis, et fadat dominum quem uoluerit. Et ego Arnallus de Paleria et uxor eius Blanca, per nos et per omnes nostros presentes et futures laudamus et concedimus supradictum mansum de Figera cum omnibus suis pertinentiis et cum omnibus predictis Deo et ecclesie Sancti Danielis et quod nos et nostri simus inde defensores et guarents ecclesie predicte.

Actum est hoc .v. kalendas octobris anno Incarnationis Christi .Mec. quintodecimo.ç

Sig+num Arnalli de Paleria, sig+num Blanche uxoris eius, qui hoc firmamus et laudamus. Sig+num Petri de Ulmo, baiuli. Sig+num Grimaldi de Fontecooperto.

Sig+num Petri de Ma.iano. Sig+num Guilielmi clerici presbiteri, capellani domine Saurine. Sig+num Saurina de Palera*.

(s. *man.*) Bernardus de Siriniano, publicus scriptor Sancti Petri Bisulduni, qui hoc scripsi die annoque prefixo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 195-196